DE

INFLUENTIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

RATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

I MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXII. M. APRILIS A. MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ALBERTUS MARGGRAFF

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. KRAEHE, med. et chir. Dr.
A. TAUBNER, med. et chir. Dd.
H. BERTHOLD, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

CLARISSIMO, DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

FRID. ADOLPHO WILDE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, IN ALMA UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI PRIVATIM DOCENTI, MEDICO PRACTICO ET OBSTETRICIO, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI,

FAUTORI SUO BENEVOLO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

nfluentia (Catarrhus epidemius, Influentia Europaea, ebris catarrhalis epidemia, Synocha catarrhalis, la Grippe, holérine, Influenze) morbus est miasmaticus, epidemius, ui quum aliis insignitur symptomatibus, tum affectioni-us omnium membranarum mucosarum, imprimis organo-um respirationis, accedente simul febri magis minusve ehementi. depressione virium, nonnunquam etiam sopore el deliriis.

HISTORICA.

Prima Influentiae vestigia, quae ad nostram memo-riam semper certo quodam temporis circuitu magnam orbis terrarum partem peragravit et ab regionibus se-ptentrionalibus ad meridionales atque soli occidenti sub-jectas se extendit, inveniuntur anno 430 a. Ch. n. apud Thucydidem (1). Iste quidem morbus quasdam tan-tum regiones pervasit; prima autem, quae universum terrarum orbem corripuit, epidemia anno 590 p. Ch. n. ingruit. Haec quidem primum grassata est in Italia Francogallia et Hispania, tum continuo cursu omnes Eu-ropae terras, pariterque homines atque animalia occupa-vit. Symptomata ejus insignia erant vehementes capitis et colli dolores, sternutationes, oscitationes, languor, ver-tigo, quibus molestiis aegrotus velocissime correptus quasi attonitus concidebat, nec raro inter sternutationes frequentissimas animam efflabat. Cujus quidem epide-miae quanta fuerit atrocitas, inde apparet, quod annalium scriptores memoriae prodiderunt, Gregorium pontificem ad expellendam quasi divinitus missam epidemiam sacri-ficiis solemnem Romae duxisse pompam, in qua octoginta

(1) Bell. Pelop. lib. II, 47 — 54.

omines sternutationibus subito correptos mortem obiisse. ;aeculo quarto decimo Influentia annis 1323, 1327, 1358, 386, 1387 observata est, quarum postrema tota supeiore Germania ita saeviit, ut ex hominibus denis vix inguli ab illa intacti et sani manserint. Etiam in Italia nultos illa epidemia homines, praecipue senes, corripuit. Iorbo affecti intra quintum aut sextum diem obibant. ;aeculo quinto decimo Influentia annis 1403, 1410, 1411, 427 in Francogallia, atque anno 1428 in Italia grasata est. Tum saeculo sexto decimo rediit et Italiam, 'rancogalliam atque Hispaniam peragravit, quo tempore Anna regina, Philippi primi uxor, isti morbo succubuit.

Jam annis 1537, 1554, 1574, 1580 Influentia otam occupavit Europam, eademque quidam auctores unt magnam etiam Asiae partem vastatam esse. Et Sennertus quidem, assiduus ejus epidemiae observator, naec refert symptomata: horripilationem secundum columnam vertebralem, artuum languorem et lassitudinem extremitatum, dolores capitis cum tussi vehementi, porro paroxysmos adeo periculosos, ut morbi exitus plerumque esset letalis, praecipue in Italia, ubi frequentiore venaesectionum usu res ad discrimen extremum adducebatur. Etenim depletiones sanguinis universales nec minus laxantia in hac epidemia noxia esse apparebat; crisis quinto die fere semper larga sudorum copia provocabatur. Romae hoc morbo novem hominum milia obiisse et Mantuam, omnibus fere incolis morte abreptis, vastatam esse memoriae proditum est. Anno 1500 et 1591 in Francogallia, Germania et Italia praecipue viri illo morbo tam atrociter correpti sunt, ut ab Augusto mense anni 1590

usque ad idem sequentis anni tempus circiter sexagin hominum milia Influentia conficerentur.

Saeculo septimo decimo ista epidemia ab anno 161 per universum orbem terrarum se extendit; hoc quide decursu, ut primum gravissimi capitis dolores angrot vexarent, deinde in regione epigastrica, in renibus et i cruribus pariter orirentur dolores accedente simul feb vehementi cum deliriis, atque quinto demum die affectio nes catarrhales apparerent et usque ad decimum dier perseverarent. Inter medicos ejus aetatis Ferrel af firmat sanguinis depletiones et laxantium medicamentorum usum in ista epidemia non minora attulisse detrimenta quam in prioribus; emollientia vero et resolventia pro spero plerumque eventu esse adhibita. Epidemia ann 1647 eodem impetu Europam et Americam infestavit. Deinde quae anno 1658 Londini grassata est, hac pro vectiores potissimum aetate homines absumebantur. Interjecto tempore (1675) eadem cursu in Germaniam et Angliam repetito summo omnes percussit terrore. Sydenham, gravissimus ille testis, tantam narrat isto morbo inter homines editam esse stragem, ut totae familiae morbo afficerentur omnesque ad unum mortem occumberent. Anno 1691 epidemia ingruit in Hungariam, Carniolam, Stiriam, Carinthiam, comitatum Tyrolensem, Helvetiam atque in regiones Rheno adjacentes.

Ineunte saeculo decimo Influentia Helvetiam, Galliam et Italiam peragravit. Et anno quidem 1729 Loewius a Suecia, Fridericus Hoffmannus a Russia et Polonia per Europam atque etiam per Americam incredibili celeritate eam sparsam esse referunt. Ingruebat

utem Januario mense, alio aliis in locis decursu; Vindobonae enim sexaginta milia hominum affecti sunt, in Helvetiam mitiore impetu invasit, Londini vero et Parisiis atque in Hispania tanta hominum strage saeviit, ut mense Novembri intra diem octavum Londini nongenti septem homines Influentia absumpti sint. Quae epidemia ab anno 1733 ad 1734 magnum Europae tractum pervastavit, ea hunc tenuit cursum, ut medio mense Novembri 1732 in Saxonia et Polonia erumperet, inde per totam Germaniam serperet in Helvetiam et ad Batavos, mense Decembri jam in Anglia deprehenderetur, ineunte Januario in Flandriam se verteret eodemque mense medio Parisios invaderet, exeunte Januario in Hiberniam perveniret et Februario Italiam, paulo post meridionales Hispaniae partes inficeret. Eodem anno epidemiae contagio in Americam, praecipue in occidentalis Indiae insulas et in Brasiliam magna cum velocitate et vehementia permanavit. Symptomata Influentiae in istis regionibus cum illis consentiebant, quibus singularis morbi typus in tota Europa constituebatur, nec solum homines, verum etiam canes et equi peribant. Omnes autem, de quibus hactenus exposuimus, epidemiae eruperunt, quoties lenior tempestas frigus vehementissimum exceperat. Huxham dum epidemias anno 1243 obvias describit, affectiones commemorat anginosas et colli ulcera, quibus iisdem symptomatibus etiam illae priores insignes fuerant. Idem dicit Londini per unam hebdomadem mille homines multosque pariter equos et cervos morbo correptos esse. Eodem anno coepta est epidemia in Francogallia appellari »la Grippe,« quam vocem verisimile est ex Polonico chrypka, quo

raucedo significatur, esse deducendam. Epidemia quu anno 1755 iterum in tota Europa se expanderet hom nesque corriperet et animalia, tum primum nominata e Influentia, quo nomine medici malignam elementoru vim notari voluerunt. Prae ceteris fuit illa epidem insignis, quae in Chinae finibus anno 1782 orta per S biriam, Russiam atque inde per totam Europam se e tendit, symptomatibus ita exacerbatis, ut Petropoli un die quadraginta milia hominum morbo correpta sint.

Hujus decimi noni saeculi primo statim anno In fluentia Francogalliam meridionalem, postea ceteras eju partes atque Italiam invasit. Anno 1813 iterum i Francogallia, et 1817 in Anglia erupit. Vernali tem pore anni 1831 Influentia in Russia et magna Germa niae parte tanta exstitit atrocitate, ut eodem tempor Berolini triginta milia hominum, paulo post Lutetia Parisiorum quadraginta quinque milia morbo affecta sin Nec minus vehemens illa fuit epidemia, quae anno 183 maximam Europae partem vastavit. Eadem quum ann 1839 rediret, affectiones excitabat non tam catarrhales quam nervosas, quibus interdum vehementes accedeban diarrhoeae, dysenteriae.

Est constans omnium rerum medicarum auctorum qui de Influentiae natura atque indole exposuerunt, ob servatio, morbum semper tum incepisse, quum frigu vehemens et continuum humida secuta sit et calida tem pestas. Apparebat autem fere semper Novembri ve Decembri vel Januario mensibus, aut, si quando aestivo tempore ingruebat, adventus ejus plerumque frigore inso- lito, quod frequentia antecesserant tonitrua, humida sub- sequente tempestate, annuntiabatur. Quum anno 1831 per

otam serperet Europam, prope ubique secuta ejus vestigia est Cholera Asiatica, ita ut medici plerique omnes affirmarent constare inter Influentiam et Choleram nexum causalem. Nos vero videre jure nobis videmur fortuitum modo morbi utriusque concursum: partim enim Influentia in regionibus, quae ad id tempus Cholera vastabantur, velut in nonnullis Russiae provinciis, iterum apparebat; partim Asiaticus ille morbus quaedam loca prorsus non occupavit, quae Influentia vexaverat, velut Lipsiam, quam singulis fere annis febris catarrhalis epidemia sollicitavit, cholera nunquam invasit.

SYMPTOMATOLOGIA.

Transeuntes jam ad symptomatologiam Influentiae, tantum cernimus in universis indiciis consensum et constantiam, ut morbum nullo tempore non eodem modo apparuisse jure affirmemus. Inter universa morbi symptomata referri primum oportet irritationem tunicarum mucosarum, quae ab oculis proficiscens ad intestinum rectum pergit; deinde affectiones systematis nervosi et vasculosi, quo fieri non potest, quin omnium organorum secernentium functiones plus minusve laedantur atque ulcerentur. Quodsi omissis symptomatibus universis respiciuntur singularia, ferme totidem reperiuntur morbi species, quot sunt aegrotantes. Alii enim iique plurimi laborant angina, bronchitide (infantes angina membranacea), alii haemoptysi aut sola cephalalgia, alii colica, alii coryza una cum levi affectione rheumatica.

Sed quamvis plurimae eaeque variae observentur species morbi, tamen eadem semper sunt symptomata universa. Aegrotos cernis macros, lassos, facie collapsa

atque pallida, affectos simul horripilationibus, quoties v
paululum moventur, imprimis si aquam extra lectum s
munt frigidam, quibus interponuntur aestus, conquerent
denique dolorem corpus totum prementem.

Qui gravissime laborant, hi vehementi afficiunt
febri, quacum reliqua simul symptomata exacerbescun
Intrant autem exacerbationes hujus febris tempore v
spertino, matutino remissiones post levem sudorem.

Una cum febri coryza et organorum respirationis a
fectiones decursum habent solitum. Narium tunica mu
cosa, quamdiu febris durat, arida atque calida mucu
aquosum et acrem secernit, donec febri imminuta muc
concoquitur atque spissior, tenacior mitiorque fit. Gra
vissimo morbi impetu irritationes accedunt alicujus or
gani ad vitam necessarii, modo pleurae vel pulmonum
modo peritonaei, modo tunicae arachnoideae, modo pha
ryngis vel laryngis, atque hinc symptomata pleuresiae
peripneumoniae, peritonitidis, arachnitidis, anginae pha
ryngeae, laryngeae. Quas affectiones locales, si ad al
tum escendunt gradum, pro morbis habere possis singu
laribus; sed connexus earum cum ceteris epidemiae in-
diciis et hujus in illas imperium de affectionum istarum
natura dubitationi locum non relinquunt.

Epidemia anni 1833, ut exemplum ponam, haec ha-
bebat symptomata: ab initio et eo potissimum tempore,
quo ad summum progressa erat fastigium, aegroti summa
velocitate ac vehementia morbo corripiebantur; postea
florescentiae tempore praeterito, Influentiam tardius se
evolventem haec antecedebant symptomata: depressio
omnium virium, lassitudo, magna omnium extremitatum
gravedo, imprimis genu articulationis, animus tristis et

emissus, angor, caput occupatum una cum perturbatio-
is inanitatisque sensu, ita ut aegrotus nec corpus mo-
ere nec animum ad cogitandum intendere posset. Ad-
uncti erant acuti sub costis spuriis dolores, in artubus,
n pectore (praesertim inter altius respirandum) horripi-
ationes momentaneae cum aestu fugaci mixtae, anorexia,
iaud raro sitis, lingua largo muco obducta, vomituritio-
ies, catarrhalis narium affectio, pulsus paulo irritatior,
omnus perturbatus. Paulo post, omnia haec sympto-
nata, praecipue si morbum parum curabat aegrotus, au-
gebantur. Affectiones subinde locales et febriles jam
larius apparebant; frigoris stadium brevis aestus conti-
uus excipiebat. Aderat simul cephalaea vehemens, im-
rimis frontalis; oculorum apparebat conjunctiva leviter
ubens, colore subflavo, iidemque nitebant lacrimis hu-
nectati lucemque respuebant; ex naribus stillabat inter-
lum humor acer, quo saepius narium alae et labium su-
erius erodebantur; fauces apparebant raucedine strictae,
onsillae rubefactae et tumidae; deglutitio impedita ma-
gnos excitabat dolores; aures, una vel altera, nonnun-
quam ambae tinnitu aut fremitu personabant. Vox erat
auca, saepius vero aut prorsus nulla, aut quae inter
ussiendum sonum praeberet illum, qui proprius est, an-
ginae membranaceae. Audiebatur ista tussis potissimum
apud infantes, qui haud raro eodem tempore et angina
membranacea et Influentia laborabant. Adulti aeque ve-
xabantur tussi magis minusve vehementi, sicca, praepe-
dita expectoratione, cujus molimine pectus saepenumero
ita conquassabatur, ut sputum sanguine tinctum magnis
cum doloribus, interdum adeo sanguis merus ejiceretur.
Lingua obtecta erat muco albido, radicem versus plerum-

que flavescente; appetitus ciborum omnino deerat, dig stione laesa, accedente non raro vomitu; cutis arida c lorem praebebat acutum; pulsus febrilis, urina ab init aquosa et cruda. Remittebat febris tempore matutin vespertino exacerbabatur cum omnium symptomatum i cremento. Cum his symptomatibus et localibus et unive sis morbus tres ad sex dies perdurabat, quibus praeter tis crises intrabant, et hoc quidem stadio, quod plerun que ab vehementi frigore incipiebat, subsequente aest continuo, febris augebatur tempore vespertino.

Aegroti, quorum irritabile esset systema nervosun haud raro delirabant. Tum vero copiosus sudor tena et acidus in omnibus corporis partibus erumpebat; urin jam turbida, sero lactis similis, cum sedimento laterici reddebatur. Apparebant saepe circa os vesiculae parva una cum exanthemate ad instar urticariae, perinde a si pulices cutem pungendo vulnerassent. Tussis ad i tempus sicca jam erat humida; sputa largiora, spiss luteola ac viridia ab initio cum difficili molimine rapidis que doloribus, postea facilius ejiciebantur. Deminueban tur simul febris et affectiones locales, catarrhales auter oculorum, pharyngis et laryngis affectiones per aliquo tempus perdurabant. Jam qui ex aegrotis a munere quo fungebantur aut publico aut privato, obeundo no desistebant, hi tussi cum sputis modo notatis per hebdo mades mensesque continuos laborabant. Una cum tuss sternutationes caput percutientes et sensus pectoris press remanebant.

Decursus epidemiae non semper certam quandam legem sequebatur. Morbus enim quoties aut negligeba-

r, aut male curabatur, cum cunctis symptomatibus supra ssignatis quatuordecim pluresve dies perseverabat. Ita eri non potuit, quin aegroti, praesertim qui constitutione orporis essent infirma atque infantes, maximopere enerarentur, ut longum tempus ad vires perditas reficiendas equireretur. Quoties porro homines debiles aut facile ritabiles morbo afficiebantur, Influentia typum habere olebat nervosum, id quod potissimum ad istam pertinet pidemiam, quae anno 1839 ingruit. Si membranae ormorum digestionis affectae erant, Influentia, quae omni x parte gastricismi induisset naturam, hujus ipsius praeebat symptomata: diarrhoeam, dolores ventriculi atque uctus intestinalis ardentes et rapidos.

VARIAE MORBI FORMAE.

Clarus, praestans ille doctrina artisque usu medius, qui in St. Jacobi Nosocomio Lipsiensi Influentiam ccurate et assidue observavit, quatuor ejus formas statuit: Influentiam catarrhalem, rheumatico-catarrhalem, gastrico-catarrhalem, gastrico-ervosam sive convulsivam.

1) Forma catarrhalis. Omnium Influentiae forarum haec haud dubie et frequentissima est et minime ehementissima. Discernitur a catarrho vulgari non tam ajore vehementia, quam summa omnium animi corporisue virium depressione, perturbatione mentis, anxietate ı praecordiis, doloribus dorsi et regionis sacralis, sudoibus aquosis aegroti molestias non levantibus, retentis tque anomalis secretionibus criticis, lentius procedente onvalescentia. Ceterum haec Influentiae species omnia

praebet signa catarrhi. Crisis plerumque tertio vel quin die efficitur sudoribus temperatis continuis, ad quos j vandos solutio nitri ℥IV et ammonii muriatici ℥II aquae destillatae ℥VI addendis oxymel. simplicis ℈Iβ cu magno aegrotorum commodo datur. Aegroti haud ra etiam postea doloribus temporalibus vel statu congesti laborant. Nonnunquam etiam morbi symptomata rep tito impetu recurrere videbis.

2) Forma rheumatico-catarrhalis, quae pl rumque dispositionem exhibet inflammatoriam, ab ant cedente distinguitur majore febris gradu, inquiete n cturna, secretione narium et viarum lacrimalium aquo et acri, injecta conjunctiva, photophobia, raucedine, tus sicca, doloribus articulorum extremitatum et inferioru et superiorum rheumaticis, qui ad pectus serpunt nonnunquam in inflammationem musculorum intercost lium aut in pleuritidem transeunt. Quae quidem form longe rarior priore saepius deprehenditur incipiente ep demia, quam florescente aut jam exstincta; crisis me dicamentis antiphlogisticis lege artis adhibitis sputis eff citur criticis, sedimento latericio urinae et copioso om nium corporis partium sudore. Relinquuntur tamen sae pius rheumatismus articulorum manuum et pedum conti nuus, oppressiones pectoris, diathesis phthisica, quo fi ut haud raro morbis chronicis insuper incidentibus mor acceleretur.

3) Forma gastrico-catarrhalis. Haec fre quentissime in ipsa epidemiae acme deprehenditur. Sym ptomatibus universis accedunt anorexia, gustus depravatus foetor ex ore et naribus, lingua flavo muco et quas sapone obducta, vomituritio, vomitus, oppressio in re-

ione gastrica, tumor abdominis, tormina ventris, diarhoea interdum cruenta, color cutis et urinae ictericus, irca os phlyctaenulae. Crisis efficitur excretionibus per s et anum provocatis, saepius medicamentis sustentandis, udoribusque modicis. Crebrius quam in duabus formis ntecedentibus signa status congestivi relinquuntur.

4) Forma gastrico-nervosa sive spasmo-ica. Ea in fastigio potissimum et sub finem epideniae apparet, praecipue morbo recidivo, si leniores fornae erant neglectae. Propria ei est irritatio catarrhalis, ua organa respirationis aut omnino non tanguntur, aut eniore impetu corripiuntur, digestionis vero organa pleaque afficiuntur. Accedit status spasmodicus, qui a nedulla spinali profectus, plerumque statu congestivo nitur et sudoribus modicis aequaliter continuis solvitur.)olor enim acutissimus et spasmodicus a regione sacrali d cervicem usque porrectus pectus occupat, saepe usque d faciem extremitatesque extenditur, maxime ad suras, djuncta dyspnoea, tussi sicca, dysphagia, vomitu bilioso, iarrhoea, obnubilatione sensuum. Quae omnia nec eoem semper tempore aut gradu observantur, nec raro ecundaria quoque symptomata ceteris admiscentur speiebus. Clarus ille bis observavit morbos recidivos ormae simpliciter catarrhalis, qui et repentino vehemenissimoque impetu accedebant et istis insignes erant symtomatibus, quae formam illam in Choleram Asiaticam ransire clare demonstrabant. Quum enim lingua sola emperatum servasset calorem, celeriter a tergo frigus uper corpus totum, imprimis super extremitates effundeatur; spasmus tonicus cum doloribus acutis magis ma-

gisque adauctis, pulsu sanguinis tactu non percipiend omnes corripiebat corporis musculos et curvaturas dor in opisthotoni formam redigebat. In altera morbi spec spastici oriebantur in epigastrio dolores, vomitus biliosu diarrhoea aquosa sine odore, urina admodum parca; altera opisthotonus longe vehementior obvius erat.

Quod ubi animadversum est, statim hirudines du decim intra scapulas applicabantur, dorso cataplasma ex farina semin. Lini et pulvere herbae Hyoscyami ol tecto. —

In altero morbi casu, nullo hirudinum usu, catapla mata abdomini pedibusque imponebantur. In utraqu morbi specie corpus continuo spiritu camphorato fricab tur et bis quaterve per horam mixtura

Infus. Valerian. ℥VI.
Liquor. Anmmon. succ. ʒI.
Aqu. Lauroceras. ʒIß.

imbibebatur. Postridie symptomata vehementissima plan evanuerant et minus graviora, uti dyspnoea, rigor artuu in priore morbi specie, congestiones, spasmi surarun saepius repetiti in forma posteriore, leni cutis exhala tione, intra quatuordecim dies paulatim disparuerunt (1)

AETIOLOGIA.

De causis et natura Influentiae nulladum vox con stat consentiens medicorum.

Quum enim alii illam ex miasmate, i. e. quodan

(1) cf. Clarus's und Radius's Beiträge etc. Bd. 1 Heft 1.

aëris vitio proficisci arbitrentur, alii huic opinioni ita repugnant, ut in haec Sydenhami verba concedant: »variae sunt annorum constitutiones, quae neque frigori, nec sicco humidove ortum suum debent, sed ab occulta potius et inexplicabili quadam alteratione in ipsis terrae visceribus pendent; quae humana corpora huic vel illi morbo addicunt determinantque, stante scilicet praefatae constitutionis dominio.« — Simulatque igitur, isti dicere pergunt, morbus ex caussis cosmicis vel terrestribus natus est, potest idem gignere contagium, quale in omnibus cernitur morbis epidemiis.

Quodsi per se sola spectatur Influentia, observatur primum ejus contagio per omnes fere coeli plagas sparsa, deinde singularis ejus cursus a regionibus intra septentriones et solem orientem sitis in terras ad Africum sitas.

Cujus quidem cursus quae sit causa, ut difficilis et obscura quaestio est, ita illud satis constat morbos epidemios semper proficisci ab septentrione, inde autem ad instar omnium mutationum cosmicarum ab sole oriente ad occidentem versus diffundi. Jam gravissima epidemiae indicia etiam ad Influentiam pertinere, hoc jure colligitur inde, quod illa per omnes prope terrae regiones sparsa apparuit. Causa ejus praecipua ex quadam aëris alteratione, a multis usque annis in Europa observata repetitur. Quid enim, quod Influentia quoties ingruebat, semper magnae quaedam coortae erant cosmicae aut terrestres mutationes, velut cometae, aurorae boreales, motus terrae, nebulae, sphaerae igneae? Quid dicam una cum hominibus etiam plantas et animalia contagione correpta esse? Quid denique morbum, ubi ingruis-

set, nulli nec aetati nec regioni pepercisse, neque ab ulla coeli plaga cursum suum avertisse? Accedit, quod constans est hominum doctissimorum observatio, inde ab hiberno tempore anni 1829 et 1830 coeli temperationem subita frigoris et caloris vicissitudine continuo ita esse mutatam, ut ex illo tempore proclivior fieret ad gignendam Influentiam. Quoniam igitur epidemia illius morbi natura satis explorata est, perverse ii judicant, qui aut Influentiam in certa tantum quaedam loca cadere posse statuunt, aut singulas corporis affectiones totidem credunt esse species morbi; quemadmodum nostra memoria non defuerunt, qui Influentiam simplicem esse Tracheae inflammationem arbitrarentur.

Verum enim vero, ut constans est et immobilis symptomatum natura, ita jure Influentiam consemus morbum esse epidemium admixtis affectionibus catarrhalibus, variis illis quidem, sed singulari quodam typo insignitis.

PROGNOSIS.

Prognosis Influentiae plerumque tam est benigna, ut aegrotantes gravedine quidem viriumque quadam depressione laborent, iniquiorem vero aegritudinem non experiantur. Quare, si qui epidemia conficiebantur, hi jam antea morbo alio, velut phthisi tenebantur correpti, ad quem si forte accedebat febris catarrhalis, prono homines affecti cursu ad mortem ruebant. Verum tamen singulari fato Berolini accidit, ut quae anno 1831 ingruerat Influentia, ea in hac urbe pari saeviret atrocitate

atque cholera. Iniquior enim morbi conditio tum maxime adest, quando quodam fit aëris vitio, ut aut febris accedat vehementior, aut status morbi catarrhalis transeat in synochalem, biliosum, nervosum, putridum. In universum tamen licet affirmare plerosque, quos Influentia absumpsit, aégrotos aut majore jam antea affectos fuisse organi cujusdam ad vitam necessarii destructione, aut mala curatione in vitae discrimen esse adductos.

CURATIO

Curatio morbi plerumque tam facilis est et benigna, ut, nullo medicamentorum usu, modico tantum et abstemio victu, quiete, temperatione cutis moderata opus sit ad illum tollendum. Haud raro remedia diaphoretica, velut flores sambuci, ammonium muriaticum, parva dosis tartari emetici vel radicis ipecacuanhae, liquor Mindereri tam facilem sudorem tamque commodas excretiones provocant, ut post quintum vel septimum diem aeger revalescat.

Expedit etiam primo mali impetu aegro porrigere oxymel simpl., cremor. tart. cum mucilagine avenae vel hordei, clysmata aperientia, remedia leniter laxantia, velut tart. emet. parva dosi.

Si morbus iniquior est aliisque implicitus affectionibus, velut pleuropneumonia, encephalitide, depletiones sanguinis locales aut universales instituendae sunt, habita accurata febris ratione, quae modo est gastrica, modo biliosa, modo gastrico-biliosa, modo nervosa, modo putrida. Si exstincta febri irritamentorum restant sym-

ptomata, sinapismos et vesicatoria adhibeas. In univer-sum tamen in curanda Influentia plus proficitur nihil agendo, quam crebriore medicamentorum usu. Imprimis hoc cavendum est, ne aut depletione sanguinis saepius repetita vehementior efficiatur nervorum irritatio et atonia; aut laxativis immodicis vel spasmi provocentur intestinorum, vel suppressa pulmonum secretione tussis augeatur.

Huic de Influentia disquisitioni priusquam finem imponamus, haud alienum videtur quaedam addere de curatione morbi homoeopathica. Inter medicos isti scholae addictos prae ceteris Koch, qui Stutgardiae medicinam exercet, plurimum operae in inquirenda Influentiae causa et natura collocavit. Is in disquisitione medica, primum Stutgardiae 1837 divulgata, inter alia haec disseruit: »Observamus, inquit, inde ab sex annis aëris temperationem mirum in modum ita mutatam, ut acerrimum frigus subita saepe excipiatur caloris vicissitudine, caelum humidum brevissimo tempore mutetur sicco, auctumno potissimum et hieme; aestate vero aestus magnus et continuus solum premat. Ita fieri non potest, quin mutata in animalis organismi tegumentis, membranis et musculis actione febres catarrhales gastrico-rheumaticae saepius ingruant.

»Neque solus animalium organismus illa coeli vicissitudine afficitur, verum etiam ipsa terra, et illa quidem ejus substantia, quae calcariam continet carbonicam, quam scimus per universam terram passim esse sparsam.

»Quod si ita est, quoties antecedentes sicciores aestus humidior excipit aëris temperatio, illa, quam supra

diximus, telluris substantia terrestres et aërios humores attrahit, qui dum se cum fluido calcariae conjungunt oblata forte occasione, fiunt liberi eamque cum aëre ineunt conditionem, quam subesse murorum recens illitorum exhalationi animadvertimus. Quemadmodum autem hac ipsa animalium corpora afficiuntur, ita etiam illo fluido, quod quoties substantias tangit ab animali organismo excretas, post continuam mutationum vicissitudinem haud scio an illius formam induat muci animalis, quem Metzger, quum aërem calcarium murorum recens illitorum via physico-chemica exploraret, deprehendisse sibi visus est.«

Metzger enim illud ita instituebat experimentum, ut in cubiculo calefacto ac saepius deinceps illito per octo horas continuas remaneret. Post aliquot horas caput sentiebat occupatum, pectus pressum, membra pulsu sanguinis non adeo mutato languore correpta. Inde conjicit hanc duplicem vim aëris calcarii, primum ut organorum respirationis actionem deprimat, unde censet affectionem nasci illorum vitae instrumentorum catarrhalem aut inflammatoriam, deinde nervorum depressionem, dolores capitis, vomituritionem, turbatam mentem, musculorum actionem praepeditam.

»Ex iis, quae supra disputavimus,« Koch in fine disquisitionis dicere pergit, »dispositionem videmus adesse duplicem, animalem et atmosphaericam, nullam tamen propterea caussam contagionis. Jam vero si utraque simul adest dispositio, provocantur symptomata Influentiae. Substantia enim anorganica, quae continua movetur mutatione, in vitam organismi inducta, ex mu-

no vitiosae substantiae et naturalis actionis certamine productum efficitur, quo continetur vis similia progignendi, quae est caussa contagionis.«

Ita fere Koch disseruit. Morbi ipsius decursum secundum symptomata pathognomonica et singularia divisit. Inter priora refert dolores capitis, lassitudinem extremitatum, febrem, tussim, affectiones membranae organorum respirationis et intestinorum. Ad singularia refert vertiginem, cephalalgiam, mentem turbatam, ruborem conjunctivae et bulbi oculi, stillantes lacrimis oculos, inflammationem oculorum, gravedinem, raucedinem cum aphasia, pectus pressum, tussim, dolores dentium, linguam muco obductam, saporem fastidium moventem, exstinctum ciborum appetitum, tumorem tonsillarum, vomituritiones et vomitum, dolores in hypochondrio, diarrhoeam, urinam ex fusco rubram, menstruationem praematuram et nimiam, dolores extremitatum et dorsi rheumaticos cum tumore artuum, pulsum celerem, in pectoris affectionibus frequentem, plenum et durum, modicam sitim. Curationem morbi idem remediis aut specificis aut singularibus vult effici. Etenim si Influentia nulla antecedente aegrotatione subito impetu ingruit, si haec habet statim ab initio symptomata: languorem artuum, dolores capitis, frigus subsequente calore, vomituritionem, pulsum plenum, frequentem, celerem, tum porrigi jubet aegroto tres ad quatuor doses aconiti 1, binis horis binos globulos homoeopathicos; quae dosis si ter quaterve repetita est, administrari vult spir. calcar. caust. sex guttas, tribus vel quatuor unciis aquae fontanae attenuatas, binis horis singula cochlearia majuscula, quod ubi

factum est, post duos dies stadium convalescentiae incipit. —

Singularem medicamentorum usum Koch observavit non ita magni esse momenti, fere semper enim, ubi prompta erat manus medica, sufficere videbat spiritum calcariae caust. Quodsi supervenit inflammatio tracheae cum tussi rauca, infantibus jubet praeberi spongiae gtt. II. aq. ℥II singulis horis cochlear minusculum; si vox alterata est, aut loquela dolores excitat, phosphor. 3. Ubi tussis transit in anginam, infantibus conium, adultis hyoscyamus indicatus est. Tollendae encephalitidi aconitum, belladonna et bryonia adhibentur. Affectiones nervosae potissimum bryonia, interdum etiam belladonna leniuntur. Hominibus phthisicis Koch, remota aconito et calcaria caustica Influentia, stannum $\overline{6}$ prospero eventu praebebat; diarrhoeae cum tenesmo sanguinisque excretionibus conjunctae medebatur merc. viv.; remanente obstipatione nuce vomica 1, quod Hahnemann remedium censet esse in Influentia specificum. Alii medici homoeopathici alia commendarunt et adhibuerunt medicamenta, velut arsenic. dosi minima $(\frac{c}{x})$, camphoram, alia, de quorum vi specifica magna inter ipsos est dissensio.

LITERATURA.

D. Metzger, Beitrag zur Geschichte der Frühlingsepidemie im Jahre 1782; Königsberg und Leipzig, 1782. 8.

Stark, Diss. de catarrho epidemico anni 1782; Mogunt, 1784.,

Wittwer, über den jüngsten Catarrh; Nürnberg, 1782.

Most, Influenza Europaea, oder die grösste Krankheitsepidemie der neueren Zeit; Hamb., 1820. 8.

J. Radius, Comm. de influentia morbo anni 1833; Lips., 1833. 4.

J. von Zlatorovich, Geschichte des epidemischen Catarrhes (Influenza, Grippe), welche im Frühjahre 1833 in Wien grassirte, und über sein Vorhältniss zum stationären Genius der Krankheiten; Wien, 1834. 8.

H. Haeser, de Influentia epidemica; Jenae, 1814. 8.

H. Schweich, die Influenza; ein histor. und ätiologischer Versuch. Mit Vorrede von Prof. Hecker in Berlin; Berlin, 1836. 8.

VITA.

Albertus Carolus Guilelmus Marggraff natus sum Berolini quinto decimo mensis Decembris di anni MDCCCXXI, patre Carolo Guilelmo, matr Ida e gente Hackenschmidt, quos Deus optimu maximus adhuc mihi servavit. Confessioni addictus sun Evangelicae. Primis litterarum elementis domi imbutus octo annos natus gymnasium Vitebergense directore Beat. Spitznero florens adii. Inde ab anno MDCCCXXXV. quo tempore pater rebus praesidii militaris Torgaviensis domesticis praefectus est administrandis, gymnasium illius urbis sub auspiciis directoris Muelleri, viri Illustrissimi et Doctissimi, cui ob insignem erga me humanitatem et benevolentiam hoc loco gratias ago quas possum maximas, per quinque annos frequentavi.

Mense Aprili anni MDCCCXL. testimonio maturitatis munitus, Berolinum me contuli, ubi Regiae Acade-

iae medico-chirurgicae militaris, tribusque annis post istituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani civibus lscriptus sum. Per quadriennium hisce virorum Illurissimorum et Celeberrimorum interfui scholis: Cel. eneke de logice et de psychologia; Ill. Link de boinice, de historia naturali, de toxicologia; Ill. Mitcherlich de chemia; Cel. Turte de physice et de harmacia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodoigia medica, de pathologia universali, de medicinae istoria; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, planchnologia, anatomia organorum sensuum; Ill. Joan. Iueller de anatomia universa et pathologica, de phyiologia; Cel. Eck de semiotice et therapia generali; 'el. Mitscherlich jun. de materia medica; Ill. Iorn de morbis syphiliticis et psychicis; Exp. Iseniee de morbis cutaneis; Ill. Juengken de chirurgia speciali; Ill. Casper de arte formulas medicas ite concinnandi et de medicina forensi; Cel. Kluge de ssibus fractis et luxatis, de chirurgia generali, de arte bstetricia, de akiurgia; Cel. Froriep de akiurgia.

Exercitationibus practicis me instituerunt: Ill. Müller et Schlemm arte cadavera rite secandi; Cel. Froriep operationibus chirurgicis in corporibus mortuis faiendis; Cel. Kluge arte fascias imponendi; Ill. Casper exercitationibus medico-forensibus et explorationibus

in vivis et corporibus mortuis. Ill. et Cel. Wolf Schoenlein, Barez clinicis medicis; Ill. Juengke et Dieffenbach clinicis chirurgicis et ophthalmiatrici Cel. Kluge exercitationibus obstetriciis.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, qua possum maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico nec non examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Belladonna non est remedium prophylacticum adversus febrem scarlatinam.
2. Inflammatio cordis musculorum non potest cogitari.
3. Contraindicationes, quae in pneumonia venaesectionem omnino vetent, non exstant.
4. Amputatio, quam vulnera indicant, protinus post laesionem est instituenda.
5. Bubo syphiliticus nunquam est primarius.
6. Abstinentia a Venere aetati provectiori noxia.

NARROW GUTTERS
(1-2 CHARACTERS
LOST ON
SEVERAL PAGES)